Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

# Num. XCIV. ANNI 1676. 24. NOVEMBRIS.

1676

Visual Library

PUBLIC RECORD OFFICE

Num. XCIV.

# ORDINARIÆ RELATIONES

## ANNI 1676. 24. NOVEMBRIS.

*Conſtantinopoli, 13. Septembris.*

ARabicæ, AEyptiacæ, & Babylonicæ militares
copiæ in patrios hinc lares remittuntur, Cæſa-
rea verò Aula poſt breve tempus Hadrianopolim re-
vertet; ſopitæ ſunt enim contentiones domeſticæ,
quondam è cineribus hic grande incendium viſæ
minari. Orator Gallicus hic degens Aulam noſtram
certiorem reddidit de felicibus Claſſis ſuæ in naves
Hiſpano-Hollandicas prope Panormium expeditio-
nibus, Cæſareiſque ab obſidione Philippopolenſi vi-
rium Luxemburgicarum robore depulſis, illud am-
plis nimium verborum, hoc minùs veris ſeu falſis
læta veritatis anfractibus explicans: in grati ergà
Superos animi ſignum ſub finem menſis præteriti in
Palatio ſuo cum ſuis decantavit hymnum his inchoa-
tum vocabulis, *Te Deum laudamus*, ſimulque trium-
phales aliquot erexit arcus, diverſis exornatos elo-
giis, ſapientibus vilipendium Domûs Auſtriacæ Re-
gis, fœderatarumque Provinciarum Hollandicarum: inter
cetera conſpiciebatur emblema ſolam Solis ſplende-
ſcentis ſphæram repræſentans, hoc inſcriptum hemi-
ſtichio: *Cedunt omnia Soli*, à dextro ſiniſtroque late-
re nixum trophæis Gallicorum Inſigniorum, ad quæ
vinculis & catenis alligati hoſtes procumbebant cum
hoc Elogio *Trop heureux* ſeu *Generoſus miles*. eodem
emblemate repræſentabatur naumachia, in qua
triumphabant candentia, Hiſpana verò & Hollan-
dica apluſtria ſuccumbebant, cum hac inſcriptione
*Ruit ter*, alludendo ad nomen Archi-Thalaſſi de *Ruy-
ter*, treſque velitationes maritimas, in quibus Galli
in mari Siculo triumphaſſent: Turcæ longè aliud
expiſcati, vituperio habuêrunt ſolemnitatem iſtam,
vitioque maximo verterunt.

*Viennæ, 12. Novembris.*

ANte dies paucos Princeps Diederichſteinius, ce-
lerrimis itineribus Neoburgum ſecutus eſt
conjugem, cum impedimentis ſexaginta miniſtris
præmiſſam: eâdem die ad Exercitum Cæſareum Cur-
ſor avolavit, cum mandato de hibernis partim in
Helvetia partim in Franconia capiendis; annonâ re-
dundantibus: contra hoſtiles Exercitus, maximè Cre-
quyanus, collectis nudatarum mœnibus Civitatum
Lotharingicarum duodecies mille viris valens, adeò
laborant, ut, quo hac hieme alendi nervos ignorent,
præſertim cum præſidiarii metu adproperantiū co-
piarum Monaſterienſium & Lunæburgicarum, ut di-
citur fugitivi è *Zweybrucken*, Crequyano acceſſerint
cum prædis ibidem tempus aliquod corraſis. Quæ
cùm publica cùm privata negotia ſedulò tractat Aula
Cæſarea, credimus expedienda priùs, quam Cæſar
abierit, eorundum ergò diſceſſum Paſſaviam protra-
hens in vigeſimam tertiam currentis: Illac ipſâ Tho-
mæ feſtivitate cum univerſa Aula redibit Lintzium,
Natalitia Chriſti & Epiphaniam Neo-Sponſæ vige-
ſimum primum ætatis annum ingreſſuræ natalem,
applaudente exquiſitiſsimâ Comœdiâ; ibidem cele-
braturus, ſeptimâ verò Ianuarii illinc diſcedet, ſplen-
didum hanc in urbem ingreſſum habiturus vstâ.
Dum Turcarum Cæſar Magnum huc Oratorem le-
get; Aula noſtra in Turciam deſtinavit Curſorem, in-
dicaturum, hoc rerum ſtatu non hic eum ſe tenere poſſe,
ideòque in vernum uſque tempus manendum in Vn-
gariæ finibus, quò pariter in Turciam hinc ablegan-
dus Orator, forſan Comes Schafgotzius. Frequentes
denuò Rebellium turmæ in Vngaria conſpiciuntur.
Concluſâ in præjudicium Moſcorum Principis & Do-
roſenskii pace Poleno-Turcicâ, hic illius Exercitus
viginti virorum millia uniet ad recuperandas ali-
quot Civitatum ſuarum à Polonis traditas poteſtati
Ottomanicæ. Labentis ſextâ profectus Pragâ No-
viomagum Caduceatorum Cæſareorum ſecundus
Comes Kinsky.

*Pariſiis, 13. Novembris.*

AB legatus hinc eſt Baſileam D. de Longeville, Hel-
vetiæ Cantones ad arctius fœdus nobiſcum hac
hieme conflandum invitaturus: factu hoc erit per-
quam arduum, tutiſſimum eſt enim neminem offen-
dendi remedium Neutralitas. Non abſque ſiniſtris
ſpeculationibus percepimus, Cæſarem Romanum
tertias celebraturum nuptias cum ſeniore Principis
Neoburgici Filia, earum ſiquidem beneficio metuen-
dæ Cæſarearum partium vires augeri nunc poſſunt
Palatinis & Bavaricis, factuque facillimum, Electo-
rem Bavariæ movere ad dimittendam Neutralitatem:
eandem ob cauſam formidantes, ne Confœderati
hoſtes minoris dicto pacem faciant, pluribus opinio-
ne omnium pediſſequis Martis noſtri ſyrmá augebi-
mus, par duntaxat reſiſtendo ituturis. Qui Curſor
nudiuſtertius advolabat ex Anglia, ulterioribus ad
continuandum brevique expediendum navium re-
ſtituendarum opus negotiis Oratorem Britannicum
D. Montagu inſtruebat. Extra-Ordinarium Orato-
rem legabimus Turinum, non minùs eundem quam
alios Italiæ Principes ad fœdus Gallicum, quam be-
nevolentiſſimis, quibus conſuevimus, ſtimulis ex-
citaturus. Allapſum Romá, Pontificem Maximū qua-
tuor propriis ſumtibus Oratores ſeu Cardinales, Pio
Viennam, Altieri in Hiſpanias, Chigi ad hanc Aulam,
denique Roſpigliotium in Poloniam legaturum, uni-
verſam Europam unis conſtantiſsimæ pacis vinculis
illigaturos. Augemus præſidia in *Aelſt*, *Leſſines*, *Lie-
kerken*, Limburgi, ceteriſque finitimis Civitatibus,
ut hoſtilem agrum continuis deprædationibus ex-
hauriant, excurſionibus atterant, exciſsionibus de-
vaſtent: Confœderatorum Deputati rogant inſtantiſ-
ſimè Magiſtratum Leodienſem aſſumtionem præſidii
Cæſarei in urbē ſuam & Diœceſin: id diſſuadet Vice-
Gubernator Trajectinus D. Calvo, minans univerſo
ſuburbio conflagrationem. Princeps Regis Filius
proximo vere intererit expeditionibus, rudimenta
ſcholæ mavortiæ imbibiturus. Noviſsimis contra-
rium nunc reſcimus, hujates deſeruiſſe Civitatem
*Merilli* in Sicilia, cum internecione multorum in
propudioſam immiſſos fugam, Hiſpanis magno nu-
mero inſequentibus: duas noſtris ſtrages ad urbem
*Scaletta*, quam terrâ marique obſident, improviſo
partas, tandemq; tantoperè nocuiſſe tempeſtates ob-
hœrentibus navibus, ut, ſubmerſis quibuſdam, Meſſa-
nam coactæ fuerint revertere. Auguſtanæ contrà Ite-
teræ docent, non Cataneam ſed Taorminam, S. Ale-
xis, Leui innum, Carlentino & Merilli urbes expugna-
tas, abundantes annonâ, quam vix annum conſumet
Exercitus univerſus: porrò Ducem de Vivonne nonâ
Octobris cinxiſſe Syracuſas obſidione, illaſque, quam-
vis ineptas noſtratibus & recente ſubſidio munitas,
ipſa hac hieme ſubacturum, pluresq; dum Rex qua-
tuor ſolum millia virorum eidem miniſtraverit:
hoc faciens lubentiſsimè, non exiguam Exercitûs in
Catalonia degentis partem jubet illuc properare.

*Argentorato, 17. Novembris.*

AGris Baſileenſibus vicina ſunt utraque caſtra, Cæ-



COPYRIGHT - NOT TO BE REPRODUCED PHOTOGRAPHICALLY WITHOUT PERMISSION

ſarea & Gallica: illa in Briſgoja & ejuſdẽ nominis nemore, Imperialia poſt Friburgum, hæc in ſup. Alſatia, Suntgavia &c in Burgundiam uſque morantur, minus nihilo hanc hiemem in hoſtes utrimque expeditura, metu mali tamen tota in armis excubat Helvetia. Nondum in apricum prodiit certitudo aſſignatorum Cæſareo-Imperialibus hibernorum: ſtatutum intereà, totam hiemem vagabundum Exercitum ſeu phalangem Cæſaream pererrare Briſgoviam. Fefellit nos nuper ſpes, fore ut Galli Hagenoam deſererent; veteranis enim præſidiariis recens cedentibus multo major è Seleſtadienſi & Tabernano præſidiis ſucceſsit numerus, tributa ex inferiore Alſatia accuratiùs poſt hac corraſurus: præteritâ hebdomade Generalis Schultzen Gallicos quoſdam Officiales lautâ menſâ habuit.

*Hamburgo, 17. Novembris.*

ADitus territorii *Vier Landen* dicti vigilantiſſimè occupantibus ruricolis & copiis, acceſſerunt recens ducenti Lunæburgici è præſidio Buxtehudano: quarè dum Cæſarei ſub imperio Ducis Molzan inhæreant propoſito vi armatiſque lacertis invadendi, inimicas manus utrimque conferent. Ante dies aliquot huc appulerunt ſex Vngariæ Præcones olim à Cæſare, delictorum ergò, moverant enim rebellionem etiamnum viventem, ad triremes damnati, poſt ex ſingulari Cæſaris clementiſſimi gratia vinculis liberati: degentem hic Oratorem Britannicum rogârunt, dignaretur à Rege ſuo petere, ne in Tractatibus pacis ſui in Vngariam reducendorum Eccleſiarumque reſtituendarum memoria oblitteretur: ſatis dabit precibus, hac de re Secretarium ſtatûs D. VVilliamſon factur' certiorem. Zeppenfeldenſes non procul à ſilva *VVeſterwaldt* dicta dicuntur videre in aere Cometam diffundentem radios & in ſphœra ſui corporis repræſentantem ſerpentis vivi ſpeciem. Præteritâ Sabbati tranſvolabat Albim navis Danica è montibus Norvegiæ, feliciter elapſa faucibus duarum piraticarum Gallicarum conſtanter inſequentium. Numeroſæ pecuniæ cambia è Galliis huc tranſlata Svecorum jacentes animos erigent. Orator Electoris Bavariæ, qui venit ad Aulam Hannoverienſem, boni quid pro Imperio ventilabit. In Cellenſibus territoriis habentur delectus ad reſtaurandum copiarum merentium numerum. Duæ rates bellicæ ſubminiſtrârũt Straleſundæ quingentos armigeros magnamque vim nervi mavortii: Sveci in Inſula *Rugen* inceptam hoſtibus munitionem erigunt.

*Ex Tractu Albis, 17. Novembris.*

AD arma redux Danorum Exercitus ſtat in acie propè *Grimſtrup*, aggreſſurus Svecicum, multorum acceſſione roboratum: vix exprimi poteſt vigilantia Regis Danorum noctu diuque caſtra pervagantis: arma miles ſtrinxiſſet, niſi Sveci tergiverſarentur, viſiſque Danis fugerent, ſoli Molmoenſium redemtioni, dum poſſibilis, intenti: horum Gubernator recens turmam emiſit, minùs feliciter velitatam; excurrentibus enim Dani callidâ fugâ reditu interdixerant, multiſque trucidatis, abſtraxerant captivos aliquot, ingenuè faſſos, urbem annonâ laborare præſidiariorum numerum lentâ tabe decreſcere, vix eorum octingentos numerari, ſolo enim Septembri vitâ functi centum & octoginta, nec pauciores Octobri, Cives denique ad excuſſionẽ jugi Svecici, Danici verò reſtitutionem anhelare. Stettinenſes de die in die obſidentur arctiùs: prorumpentes ſœpe ſœpiùs acerrimè cum obſidentibus velitantur, tùm his tùm illis triumphantibus, tum horum cùm illorum quibuſdam in vincula incidentibus: globi igniti recens immiſſi ſub noctem non paucas ſtructuras inflammâſunt, quas per urbem diſperſas flammas obſidens miles oculis clarè diſtinguebat: mittebat die alterâ in Vrbem Elector obſidens Dnum Blumenthall, cujus latent negotia. Hamburgenſes Regem Chriſtianiſſimũ adlaborant inducere ad liberum ratibus ſuis ſine litteris ſalvi commeatus indigentibus tranſitum. Sveci autumant, invaſionem Inſulæ *Rugen*, ſiquæ imminet, abſumturam plurimos invaſorum. Straleſundani publico edicto ſe purgârunt de fama, quaſi clam cum Brandenburgicis contraxiſſent.

*Bruxellis, 19. Novembris.*

ADferet jamjam ex Hiſpaniis Curſor cambia duorum Millionum Imperialium, quibus Princeps de Villa Hermoſa Gub. Bel. nedum veteranas legiones reſtauret, & duodecim virorum millia in Germania conſcribat; ſed etiam Confederatis dabit ſatis: in ejuſdem adventum graviorum negotiorum ventilatio protrahitur. Videntur hic diverſarum Belgii Civitatum Deputati: Cameracenſes Eccleſiaſticos Civeſq; ſuos liberari petunt onere militum, ſine diſcrimine, propter papilionum defectum, illorum & horum hoſpitia occupantium. Quoniam, copiis in hiberna diſtributis, frequentes hic privatorum negotiorum ergò Officiales nimium gravabant hanc Aulam; Gubernator, frequentiam illam exoſus, ſub pœna exauctorationis juſſit illos ad præſidia ſua quantocyùs revertere. Galli exequuntur minas de excindendis pagis vicinis Cameraco, Valencenæ, & Montibus ejectas: ſenſit illas *Quarignon* vicinum Montibus, prorſus exſciſſum.

*Haga Comitis, 19. Novembris.*

AVriacus Princeps heri & nudius tertiùs cum Proceribus ferventer conſultavit de armatura proximi anni 77. ſcribendiſque octo novemve legionibus: inſuper Proceres cum Thalaſſiarchiarum Deputatis agitant vota de inſtruenda claſſe ad opprimendam rebellionem Siciliæ, quod factu erit dicto faciliùs, cum de ejuſdem conſervatione Galli ipſi deſperent, Rexque Chriſtianiſſimus propter pecunias ſine fructu progreſſuque hactenùs devoratas claſſem ſuam & triremes illinc revocet, exceptis ſeptem octove ratibus mavortiis pauciſque triremibus: Embdenam percepimus, caſtro *Olderſum* armatis Monaſterienſium manibus expugnato, multiſque vicino ex agro pecoribus abactis, irritatam adeò hujuſmodi hoſtilitatibus, ut circumjacentes duorum milliarium ſpatio agros aquâ ſepelierit, & propugnacula tormentis bellicis armârit, ope octo centuriarum, quas indies præſtolatur, vim vi fractura.

*Ex Tractu Moſæ, 21. Novembris.*

ARduos pacis Tractatus Caduceatores belligerantium auſpicati currentis decimâ ſeptimâ, ceperunt indefeſſis conſultationibus ventilare præliminaria, ad quorum concluſionem cum plurimùm interſit ceterorum nondùm præſentium Oratorum, eos proximè credimus advolaturos. Novum commeatum Galli è *Charleroy* Trajectum duxerunt. Accepimus Pariſiis, Dnum du Tellier legandum ad Noviomagenſes Tractatus, & illinc ad gubernaculum Trajectinum revocandum Mareſcallum de Eſtrades, Dnum Calvo autem ad Arienſe virtutum ergò ſibi commiſſum poſtliminiò conceſſurum. Deputati in *Deynſe* contraxerunt pendendorum tributorum Tractatus, vi quorum tertia exactæ pecuniæ pars remittitur, ceteræ paratâ ſemper monetâ pendentur. Biduò admordit litus Vltrajectinũ celox, quâ vectus D. Barcklay, cogitans Neomagũ. Trajectini muris nudabunt urbes *Hoye & Viviers*: idem minantur Malmundario, urbeculis *Spa & Theux*, immò forſan Limburgo, quâ & Trajectina ex urbibus quamplurima in Gallias tormenta trahentur.

*Aquiſgrano, 21. Novembris.*

AIt fama, quindecim Gallorum millia propè Trajectum congregata, ſine dubio Cæſareis anteverſuri; deſtruxerunt muros oppidi Cornelio-Monaſterienſis, facturi idipſum aliis vicinis arcibus. Noſtrates timent hyberna: videntur ſe oppoſituri, unde colligunt pulſatis jam tympanis milites & juvenes robuſtiores noctu ſimul jubentur excubare.

Imprimebat PETRVS HILDEN S. C. M. P. R.